Strażyc Alberti Rajmundi: Problema cytologicum

PROBLEMA CYCLOLOGICVM

Publicè.

In publicâ Iagelloniani Lycæi exedrâ.

A

M. ALBERTO RAYMVNDO STRAZYC.

Ordinario Astrologiæ Professore.

Ad disputandum.

PROPOSITVM.

Anno 1646. Mensis Aprilis. Die 18. Horâ 12.

CRACOVIÆ,

In Officinâ Christophori Schedelij, S. R. M. *Typograph.*

n.

In Gentilitium Decus
SIENIAVIORVM.



QVàm bene SIENIAVIO, binum mihi lumen, in axe,
Dictinna Auroræ conſociata, nitet?
Illa etenim Conſi, fortunat nocte labores,
Aurora & Muſis fertur amica bonis.
Æolios igitur ſpernit mea cymba furores,
Sydera SIENIAVII, dum mihi bina fauent.

ILLVSTRISSIMO AC MAGNIFICO DNO,

D. ADAMO HIERONYMO

A GRANOW

SIENIAWSKI

Brezaneñ: Oleſzyceñ: Mediboẓeñ: Myſzẽ: Sklouieñ: &c. &c.

Vnico Hæredi.

Gentilitij Sui Nominis Phænici.

Dño & Patrono Amplißimo.

CYclicam, de Circulò naturæ thaumaturgo, velitationem, nuper in publicâ Septemtrionis Orcheſtrâ, à me agitatam, ad Tui, ILLVSTRISSIME *ac* MAGNIFICE Dñe, *Gentilitij ſplendoris Cynoſuram depono. Eò libentiùs, quò probè intelligam, ſplendidiùs ab humanitatis & beneficentiæ Tuæ radijs, orbem Scientiarum colluſtrari. Non quòd ampliora Virtuti Tuæ, quæ ſemper excelſa fuit & eſt, adiecta velim eſſe ornamenta; verũ vt beneficiorum haud immemor, vel hoc ſaltem leue rependam gratitudinis argumentũ. Impar, fateor, ſi rem conſiderauero, Generoſæ Menti anathema: quia vnius lineæ ſpatio circumſcriptum. Non tamen omnino aſpernandum, ſi proprietatem rei penitiùs excuſſero: quia incomprehenſæ ſphæricitatis præſentat characteriſmum. Vt vel exinde, quaſi per imaginem viuis delineatam coloribus, colligere fas ſit; & ab vnius Familiæ propagine, infinitam propemodum præclarè geſtorum multitudinem, deriuari; & innumerabilẽ meritorum farraginem*

ginem

ginem, in vnius Gentis penetralibus concludi. Nescit SIENIAVIANÆ *Virtutis Maiestas, angusto coarctari alueo, etiam extra Europæos fines prouolat gloriosè. Iactent alij fortitudinem Herculis: deprædicent Alexandri generosæ indolis amplitudinem: efferant Deciorum in Patriam amorem: laudent in rebus agendis Iulij Cæsaris dexteritatem: extollant Vlyssis prudentiã: celebrent Augusti humanitatẽ: venerentur Numæ religionem: singula singulorum sunt ista. In* SIENIAVIIS *coniunctim sociata: Omnia magna: Omnia præclara: Omnia excelsa. Si nauis Reip: tempestatum fluctibus quassata iactetur, prudenter gubernant. Si ciuiles animi, dissidiorum ventosis agitentur turbinibus, feliciter componunt. Si hostica phalanx impetat, animosè decertant, & vincunt. Magna hæc omnia; quia* SIENIAVIANA; *& ideò* SIENIAVIANA, *quia Magna. Plurimorum egregia facta pro Rep: velut vniones nitidi scintillant:* SIENIAVIORVM *in Patriam promerita, ad instar cãdidissimi Carbunculi, longè lateque cum fulgore ignes eiaculantis, collucent. Impius sit, multumq́; in Patriam cõmunem omnium Parentem, iniurius, qui tantæ VIRTVTI, MERITIS, SPLENDORI; aut inuideat, aut detrahere non vereatur. Hoc Inclytæ Gentis geminum iubar; oræ Russiacæ securitatem: religioni tutelam: rebus desperatis auxiliũ impertit: adeò vt Solem è mundo tollere videretur, qui ex orbe Sarmatico, & saluberrima, & splendidissima* SIENIAVIORVM *sydera, auerruncaret. A quorum præfulgido lumine, dum meæ concertationis Mathematicæ hastiludium irradiari expeto, me simul in Tuum,* ILLVSTRISSIME & MAGNIFICE DOMINE *demitto patrocinium.*

Cuius sum

Cliens addictissimus.

M. ALBERTVS RAYMVNDVS STRAZYC.

PROBLEMA

V. Circuli Mathematici, tam admirandus & latè patens vſus ſit, vt non ſolùm ad cognitionem rerũ humanarum, ſed etiam Diuinarum; nec tantum ad ſcientias ſpeculatiuas, aut practicas, verùm ad artes etiam mechanicas; atq; adeò ad alias in Orbe ſublunari perfectas naturæ, & voluntatis humanæ functiones, ſe ſe extẽdat nec ne?

Conclvsio I.

Quæ tam apud antiquos, quàm apud recẽtiores Philoſophos paradoxa, imò abſurda & cõtradictoria credebantur, ea beneficio circuli enodata, ſine vllo ſaluantur negotio.

COROLLARIA.

1\. *Moueri ſimul & quieſcere vnum idẽq́, non eſt poſſibile vt ab intellectu comprehendatur, quin ad primum occurſum menti contradictio ſe ſe non obijciat; hoc tamen vtrumq́; in Circulo, ſine vllâ repugnantiâ fas eſt reperire.*

2\. *In contrarias & oppoſitas eodem tempore ferri partes, ſoli Circulo conceſſum eſt; cætera ſine contradictionis offendiculis, eodem priuilegio gaudere non valent.*

3\. *Si Circulus Circulo applicetur, ita vt vnius centrum, in alterius peripheria mobili defixum, in gyrum agitetur, vnâ eademq́; operâ, & lineã rectam, & lineam orbicularem deſcribet. Quod idẽ, & in naui circulum delineantibus, euenire cõſueuit.*

4\. *Moto Circulo continuo & indiuiſibili, non eſt abſurdum, vt in vnâ parte celeriùs, in alterâ tardiùs promoueatur.*

5\. *Inſi-*

5. Infinitum mensurari extra Circulū credibile non est; in Circulo, neminem ita obtusi & hebetis ingenij esse arbitror, qui eam apertissimè non agnoscat veritatem

CONCLVSIO II.

Incomprehensam incomprehensibilis Numinis naturam, cum suis attributis & proprietatibus, non aliud, quantùm humani ingenij virib⁹ permissum est, quidpiam apertiùs explicare potest, quàm Circulus, qui vel eo solo nomine, secundúm sententiam Principis Philosophorum, miraculum miraculorum iure merito appellatur.

COROLLARIA.

1. Rerum omnium Authorem DEVM, simplicissimæ naturæ esse, præter reuelata in fide principia, vel ex eo deducitur, quod Circulus vnicâ duntaxat, eaq́; simplici lineâ comprehendatur.

2. Immensitatis Essentiæ Diuinæ, cuius vt Trismegistus asseruit, centrum est vbique, circumferentia nusquam, non aliud magis euidentius Symbolum est, quàm linea sine principio & fine in orbem contorta.

3. Quemadmodum inter figuras Mathematicas, alia Circulo nobilior non est, ita in numero Entium, aliud Nobilius, Diuinius & Perfectius, præter supremum Ens Entium, non potest cogitari.

4. Vnio in singulis ferè punctis angulorum, cum capacitate coniuncta, Omnipotentis Dexteræ arguit virtutem interminatam.

5. Circuli in Quadratum aut Triangulum omnimoda & adæquata trãsformatio, hucusq; incognita, imò aliquibus impossibilis credita, quid aliud signare videtur, quàm illud ex sacrâ paginâ decerptum: Ego DEVS & non mutor.

CONCLVSIO III.

Quicquid in scientijs præstans & singulare est, id à Circuli amplissimâ & admirandâ naturâ profectum, Diuinitatis cuiusdam excellentiam redolere videtur.

COROLLARIA.

1. Circularis argumentatio, in præstantiori Philosophiæ Rationalis parte, adeò neruosa est, vt non hominum quantumuis vaferrimorum tantum liget intellectum, sed solidioris etiam doctrinæ virorum, acutas elidat ratiocinationes.

2. Intel-

2. *Intelligentiæ separatæ, habent circumscriptum suæ operationis in orbem scopelismum, ac proinde extra sphæram actiuitatis vires non exerunt.*

3. *Respublicæ; Prouinciæ; regna; imperia; mores gentium & habitus; Familiarum propagines; artium progressus; Principum numerus & prosperitas; iuxta cyclicæ conuersionis reuolutionem, in sua principia per certas ætatum remeant periodos.*

4. *Generationes rerum; elementorum vicissitudines & motus; Sphærarum cælestium rotationes; alternatæ temporis annui & diurni vices; fluxus & refluxus maris, per circulares recurrunt tornationes.*

5. *Vita demum humana, aliter conseruari nõ posset, si non continua in circulum sanguinis gyratio, & corpus à putredine per motum præseruaret, & membris idoneum omni tempore subministraret alimentum.*

Conclusio IV.

Non ingeniosi duntaxat Artistæ, sed Mechanici quoq; opifices, ea adminiculo Circuli perficiunt, quæ vix aut ne vix quidem, alterius principij ope, patrare possent.

COROLLARIA.

1. *Ingeniosa Chymicorum palæstra, in suis retortis, còòbijs & pellicanis, nec quintas rerum essentias; nec naturæ secretum secretorum, Magnesiam seu Lapidem Philosophicum intelligo, sine Circulari operatione vllatenus fabricat.*

2. *Librarum ponderationes; rerum grauiũ per vectẽ eleuationes; cochleæ impulsus; trochleæ vis & potentia; obeliscorum structuræ; integrorũ ædificiorum transportationes, ritè expediri non possunt, nisi opem ab orbiculari actiuitate emendicent.*

3. *Neq; speculorum vstoriorum; neq; Tubi Optici vsus esse posset, si in parabolicâ figurâ, quæ proximè ad circũferẽtialẽ accedit, non formarẽtur*

4. *Motus perpetuus, qui à Philosophis diligentiùs quæritur, non aliâ ratione expeditiùs, quàm per Circulum fieri posset. Vnde Plato tantam vim redeunti Orbium cælestium, ad suum caput post Magnum annũ circularitati tribuebat, vt eorum recursu, omnia iterum postliminio, eo ordine, quo nunc fiunt, reproductum iri affirmauerit.*

5. *Subtilissima à corporibus effluuia, vix deprehendi possent, nisi orbicellus papyraceus, à leuissimâ calidæ qualitatis resolutione impulsus, id manifestissimè fieri doceret.*

CON-

CONCLVSIO V.

Illa, quæ existimantur sine arte fieri in rerũ natura, quicquid aut artificij, aut admirationis, complectuntur, id totum Circulo in acceptis referant est necesse.

COROLLARIA.

1. *Pauimenta etiamsi ad exactissimam amussim constructa librentur, semper nihilominus Sphæricam, tanquam longè perfectiorem, referunt figuram.*

2. *Gressus animalium in superficie terræ; motus pedum & capitis; sectiones lignorum; curruum & plaustrorum volutationes; ex fundis proiectiones; balistarum & arietum in murum impressiones; molendinorum rotæ; videntur carere arte, cũ reuera sine adiutorio Circuli nullatenus consistant.*

3. *Corporis humani fabrica, circulari ambitu concluditur, si ex centro in vmbilico firmato, circumferentia per extremitates manuum extẽsarum, pedum & capitis, traducatur.*

4. *Aues in àëre volant; pisces in aquis remigant; naues in Oceano, à Circulo & diriguntur & protruduntur.*

5. Pi-

5. *Pilæ Aeoliæ, ventorum naturam & flatum, repræsentantes, non commodius sua spiracula, cum vehementi impulsu agere possent, quàm sub orbiculari sphæricitate confectæ.*

Sub felicibus auspicijs.

CLARISSIMI & MAGNIFICI Dni.

D. LAVRENTII SZMIESZKOWIC.

Philosophiæ & Medicinæ Doctoris, Almæ Vniuersitatis Crac. Procācellarij & RECTORIS. vigilantissimi.